

acquisibilis, quam eo modo, quo per accidens habetur, quia pro hoc statu id, quod est magis connaturale, et per se, non debet prætermitti propter aliquam majorem perfectionem proveniente ex eo, quod est per accidens, supposito quod assumpsit Christus id, quod plantaverat in natura, non solum ex parte rei, sed etiam ex parte modi connaturalis naturæ, et sic pro isto statu frustra esset intellectus agens, quia careret proprio, et connaturali actu debito pro isto statu naturæ, licet non esset debitus pro alio statu, ut in prima rerum creatione, vel pro statu gloriæ. Christus autem assumpsit naturam in eo statu, et cursu, in quo reddebat debitum intellectus agens illo actu abstrahendi species, quo si careret, frustra esset, utpote carens debito suo.

XXVIII. Nec solum probat hæc ratio debere intellectum agentem acquirere species intelligibiles, sed etiam ipsum habitum scientiæ, quia connaturalis modus acquirendi illum habitum est mediantibus speciebus, eo quod habitus ille est lumen quoddam intelligibile acceptum, et derivatum ab objectis; objecta autem sensibilia in se actu non habent habitum intelligibilem, quousque mediantibus speciebus abstractis fiant actu intelligibilia, et sic ab illis educi possit habitualis virtus, quæ est lumen intelligibile, tenens se ex parte intellectus.

XXIX. Neque illi habitus, si darentur ante species redderent intellectum perfectum, et ordinatum, sicut habitus virtutum in voluntate, eo quod habitus virtutum ordinant per modum inclinationis; inclinatio autem perficit ipsam potentiam voluntatis nudam, non vero actu habens species, neque enim illarum est capax. Unde conveniens est, quod voluntas ut sit perfecta, et rectificata secundum naturalem inclinationem

habeat illos habitus, etiam antequam actus eorum possit exercere. Et vero habitus intellectus non ordinatur nudam potentiam intellectus, sed species ejus, vel intellectum speciebus actuatum; unde antequam intellectus habeat species, non potest habitus ille reddere intellectum ordinatum, aut inclinatum; et ideo frustra infunderetur ille habitus non infusus, nec positus in intellectu speciebus, quæ sunt materia ordinabilis per habitum intellectivum.

XXX. Videatur etiam Vazquez disp. LV, capite II, impugnans sententiam Suarez ex eo, quod adhuc datis illis speciebus per accidens infusus, Christus non poterat uti illis ab initio, quia usus talium specierum dependebat a conversione ad phantasmata, et ministerio sensuum; erat enim illa scientia ejusdem speciei cum nostra acquisita, et consequenter ejusdem dependentiæ; Christus autem non habuit ab initio ministerium sensuum magis expeditum, quam alii infantes; frustra ergo erant illæ species ab initio infusæ, si ab initio illis uti non poterat. Cæterum Suarez negat fuisse in Christo hoc impedimentum utendi sensibus pro usu rationis naturalis. Quod satis significavit Augustinus secundo de peccatorum meritis, capite nono; sed de hoc tractare spectat ad quæstionem XIV; et ideo superse-demus ab hac ratione.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XXXI. Ad primum argumentum contra primam difficultatem respondetur, quod per hanc scientiam non cognovit Christus Dominus substantias separatas secundum essentiam, ut expresse docet S. Thomas infra quæst. XII, art. I ad tertium. Licet enim pertineat ad regularem cognitionem animæ separatæ cognoscere

essentiam suam, et substantiarum separatarum, hæc tamen cognitio non potest haberi per scientiam acquisitam ministro sensuum, quia hæc solum habet pro objecto quidditatem sensibilem.

XXXII. Qua ratione etiam negat S. Thomas I part. quæst. XCIV, art. II, quod Adam cognoverit Angelos per essentiam, licet excellentius illos cognoverit quam nos, quia ejus cognitio erat magis certa, et fixa circa exteriora intelligibilia: quod etiam scientiæ acquisitæ Christi tribuendum est; illa ergo naturalis cognitio qua anima separata, se et Angelos cognoscit connumeranda est cum scientia per se infusa, ad quam etiam spectat omnia naturalia intelligere.

XXXIII. Ad secundum respondetur, quod ille processus de imperfecto ad perfectum per carentiam scientiæ naturalis pro aliquo tempore in Christo, non erat ignorantia privativa, sed negativa, quia pro eo tempore non erat ei debita illa scientia, supposita assumptione naturæ in tali statu: sicut nec erat imperfectio quod in ætate infantili careret loquela, quia permittebat agere naturæ, quod cujusque status proprium est, et secundum omnium sententiam etiam ipsius Suarez caruit ab initio experimentalis cognitione, quæ tamen carentia non erat ignorantia privativa, sed negativa.

XXXIV. Idem ergo dicendum est de carentia illius cognitionis scientiæ pro illo tempore; neque habere scientiam ab initio pertinebat ad dignitatem capitis, quia in eo in quo erat caput habebat omnem scientiam debitam tali dignitati ab initio, quæ est scientia supernaturalis, sicut et caput in genere supernaturali.

XXXV. Ad tertium constat ex dictis, quod Adam debebatur ut capiti naturali infusio per accidens scien-

tiæ acquisitæ: Christo autem non; et ideo proportionatum, et connaturale erat primo parenti carere actu proprio, et principali intellectus agentis, non autem Christo.

XXXVI. Et quando dicitur, quod hæc scientia naturalis non debuit esse inferior in Christo, quam in Adamo, respondetur quidquid sit, an fuerit in Christo inferior ex parte multitudinis objectorum (de quo solutione ad quintum) tamen intensive ex parte modi cognoscendi nullo modo fuit inferior; tum, quia connaturali, et proprio modo illius scientiæ pro tali statu cognovit, et per propriam inventionem; tum, quia habuit ingenium longe excellentius, et ideo plene, et efficacius apprehendebat Christus quidditatem rerum per species abstractas, quam Adam per infusas, quia istæ infusæ ex parte modi representandi non differebant ab acquisitis, sed tantum in modo suæ generationis, et principii a quo processerant: unde stante excellentiori ingenio, Christus perfectius intelligebat, quam Adam.

XXXVII. Ad quartum respondetur ex dictis supra quæstione VII, disputatione unica, art. III, quod licet connaturalis generatio virtutum moralium, et intellectualium debeat esse mediantibus propriis actibus, quibus utrumque genus virtutum acquiritur, est tamen major connaturalitas, quod in Christo infundantur per accidens habitus virtutum moralium, quam intellectualium; tum, quia ipsa acquisitio, et generatio virtutum moralium fit per assuefactionem potentiæ appetitivæ exercentis se in materiis virtutum. Erat autem indecens Christo habere aliquam rectificationem appetitus mediante assuefactione, quia ex parte suppositi erat ipsa summa rectitudo; et ideo illæ potentiæ, quæ deserviebant supposito ad recte operandum,

decebat ut haberent omnino perfectam rectificationem, ne procederent de imperfecto ad perfectum in ea acquirenda. Unde ex hoc etiam non sequeretur, quod aliqua potentia remaneret otiosa in Christo in suo connaturali actu, quia virtutum moralium habitus non acquiruntur ex illustratione alterius potentiae, sed ex actibus ejusdem quibus assuevit a virtute, procedendo de imperfecto ad perfectum. Convenientius autem erat, quod ista potentia semper procederet in suis actibus perfecte, quia eorum perfectio erat perfectio pertinens ad rectificationem.

XXXVIII. Non autem erat inconveniens in parte intellectiva carere aliqua scientia, sive modo scientiae, in quo non consistebat rectificatio habitualis voluntatis; et aliunde sequebatur illud alterum inconveniens, quod aliqua potentia caret suo actu connaturali, quia ex ejus illustratione acquiritur hæc scientia naturalis.

XXXIX. Tum secundo, quia habitus moralium virtutum cum se habeant per modum inclinationis immediate, perficere possunt ipsam nudam potentiam voluntatis: habitus autem intellectuales non perficiunt nisi intellectum actuatum speciebus. Unde non est connaturale habitus scientiarum infundi ante ipsas species; quæ si per accidens infunderentur, tolleretur in Christo connaturalis actus intellectus agentis pro hoc statu, quod nullo modo currit in virtutibus moralibus.

XL. De prudentia autem diximus supra disputatione III, quæst. I, art. III, quod fuit per accidens infusa Christo, sicut et aliæ virtutes morales, quia licet sit in intellectu, tamen quia non versatur circa verum speculativum, sed practicum, non existit in intellectu ut moto præcise ab speciebus, sed ut moto a

voluntate, quatenus ex rectificatione voluntatis circa finem (quod fit per habitus virtutum moralium) redditur intellectus dispositus ad iudicandum practice convenienter remedium; et quia per habitus moralium virtutum erat voluntas Christi sic habitualiter disposita, consequenter ex parte intellectus practici, quia est dependens a tali dispositione, debet etiam infundi habitualis dispositio prudentiæ, etiam antequam species infunderentur. Et in hoc magis dependet prudentia a dispositione voluntatis, quam a cognitione intellectus speculativi. Sicut eadem ratione infunditur parvulo habitus fidei antequam habeat species, quia est habitus pendens a motione, sive dispositione habituali voluntatis: at vero habitus speculativi non denominant intellectum, ut dispositum ex motione voluntatis, sed ut præcise actuatum speciebus circa verum, et ideo ante positionem specierum non ponuntur isti habitus, sicut neque prudentia ante positionem, seu motionem voluntatis.

XLI. Ad ultimum respondetur hanc scientiam fuisse perfectissime in Christo, non absolute, sed intra suum genus. Genus autem hujus scientiæ compatitur eam habere perfectam, etiamsi non omnia æqualiter cognoscantur, nec omnia individua attingantur, quia proprium, et per se objectum ejus est quidditas sensibilis ut abstracta ab individuis. Unde cognitio horum individuorum sensibilium non pertinet ad hanc scientiam, ut scientia est; individua enim proprie cognoscuntur per cognitionem experimentalem, non scientificam.

XLII. Quia ergo propria perfectio hujus scientiæ solum est cognitio scientifica rerum, quatenus habentur per discursum, dupliciter potest intelligi, quod pertineat ad perfec-

tionem hujus scientiæ formare proprios conceptus rerum, uno modo proprios quasi scientificæ, et demonstrative, sicut conclusiones, quæ deducuntur ex suis principiis: alio modo proprios proprietate simplicis repræsentationis per species proprias, et immediate elicitas a tali re. Ergo scientia acquisita ex perfectione sui generis, quæ est cognitio scientifica, non postulat habere proprias, et immediatas species omnium rerum, sed quasdam habere immediatas; quasdam vero formare, et colligere ex aliis, ut effectus ex causis, et similia ex similibus.

XLIII. Licet enim in Adamo fuerint infusæ per accidens species, non tamen constat accepisse immediatas species omnium sensibilium; sed accepit plures species ex quibus poterat per discursum formare alias, quia hic modus est valde connaturalis huic scientiæ acquisitæ, cujus perfectio non consistit in hoc, quod de omnibus habeat propriam, et immediatam repræsentationem; sed in hoc maxime, quod industria propria sciat formare, et deducere conceptum unius ex aliis, et hoc modo perfectior fuit ista differentia in Christo, quam in Adamo, quia per species acquisitas immediate ab aliquibus sensibilibus efficaciter potuit formare, et colligere alias propter excellentissimam vim ingenii, in quo excedit omnes homines.

XLIV. Unde dicit S. Thomas infra quæst. XII, art. I ad secundum: « Quod licet non fuerint Christi sensibus subjecta omnia sensibilia, fuerunt tamen subjecta sensibus ejus aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis ejus potuit in aliorum notitiam devenire. Et in solutione ad primum dixerat, quod ex virtute intellectus agentis potest homo procedere ad intelligendum effectus

per causas, et causas per effectus, et similia per similia, et contraria per contraria. Ex qua doctrina constat hallucinari oppositam sententiam, quæ existimat pertinere ad perfectionem scientiæ acquisitæ habere speciem propriam, id est, immediatam respectu cujuscumque rei; hoc enim non est dubium scientiæ acquisitæ, quæ de se inclinatur ad cognoscendum plurima per discursum, et formando propriam, et quidditativam cognitionem unius ex alio.

XLV. Et quando dicit S. Thomas citato loco, quod videndo cælum potuit comprehendere Christus ejus virtutes, et effectus, quos habet in istis inferioribus, non intelligitur de cognitione illa comprehensiva, quæ adæquat omnem intelligibilitatem rei, sed de comprehensione, qualis habetur per discursum certum, id est, assecutionem per demonstrationem. Supponimus enim Christum non habuisse cognitionem opinativam, quæ habet periculum falsitatis, sed demonstrativam, et perfectam, et hæc vocatur etiam cognitio propria illius rei, quam assequimur per demonstrationem, licet non sit per species immediatas. Et hoc modo intelligendo propriam cognitionem in Christo, etiam respectu rerum sensibilium, dicimus excedere scientiam in Adamo per accidens infusam, etiam quoad extensionem objectorum.

XLVI. Primo quidem, quia potuit acquirere species ex objectis magis accommodatis ad intelligendum naturas rerum, easque perfectissime acquisivit propter optimam dispositionem sensuum, et intellectus agentis; ut autem hauriret species ab objectis, quæ magis necessariae erant ad formandas scientias, potuit uti ministerio Angelorum, ut sibi adducerent ad sensus illa ob-

jecta, quæ iudicabat esse magis convenientia ad accipiendas species pro perfectione scientiarum, ut docet Cajetanus infra quæstione XII, articulo primo.

XLVII. Nec est miraculum sine fundamento, quia sicut corpori ministraverunt Angeli adducendo cibos in deserto, et sicut primo homini adducta sunt omnia animalia imponenti illis nomina, ita animæ Christi ministrare potuerunt, non quidem adducendo omnia sensibilia, sed ea quæ Christus iudicabit expedire, ut haberet scientiam perfectam, nec inferiorem ipso Adamo. Neque facilius erat infundere species per accidens, quia non erat connaturalius ne intellectus agens careret proprio actu.

XLVIII. Secundo, propter excellentiorem vim ingenii in Christo, quam in Adamo, formavit melius discursum, et efficacius penetravit, et composuit ex aliis speciebus alias, ut scientiam perfectam haberet ea perfectione, quæ intra genus suum sibi debetur, habendo aliquorum objectorum immediatas species, aliorum mediatas; omnium tamen proprias, sed demonstrative eorum scientiæ deservientes.

SOLVUNTUR OBJECTA CONTRA SECUNDAM DIFFICULTATEM.

XLIX. Ad impugnationes contra secundam difficultatem. Ad primam constat ex dictis, quod vis rationis S. Thomæ, non fundatur super eo, quod fuisset frustra intellectus agens in Christo absolute loquendo, sed esset frustra juxta connaturalem modum, quem habet, et Deus in illo plantavit pro isto communi cursu, et statu rerum. In Adamo autem non erat debitum, neque connaturale pro statu primæ creationis in qua creabatur

perfectus, quod haberet hunc actum intellectus agentis, quo crescit, et perficitur intellectus in scientia, et ideo non erat frustra, quia id dicitur frustra, quod caret actu sibi debito pro statu, et tempore. Quæ etiam ratione in beatis, quia non sunt in statu acquirendi scientiam, non est frustra intellectus agens; sicut neque vis augmentativa, aut nutritiva, licet careant illis actibus, quos hic habent, et in illo statu non debentur.

L. Ad secundam instantiam respondetur, quod licet officium intellectus agentis non solum sit abstrahere species, sed illustrare principia, tamen illud primum est principale, et fundamentum secundum, quod amplius est connaturale, et debitum pro statu in quo Christus assumpsit naturam; unde semper sequitur, quod esset frustra quatenus caruit principali operatione sibi debita, et connaturali, et sic non assumeretur secundum omnia, quæ Deus in illa natura plantavit, quantum ad modum proprium, et connaturalem operandi. Et hæc responsio est sufficiens.

LI. Nec est necesse recurrere ad id, quod dicit Cajetanus, quod caret intellectus agens omni operatione in Christo, supposito quod non haberet nisi scientiam infusam per se; hoc enim non supponit sententia opposita, sed solum fuisse scientiam acquisitam infusam per accidens, ut in Adamo.

LII. Ad tertiam instantiam respondetur certissimum esse, quod intellectus possibilis, et agens distinguuntur, utpote potentia activa, et passiva in ordine ad species formandas, vel recipiendas, ut probari solet in III de anima, textu XVII, et I part. quæstione LXXIX, articulo III, nec modo in hoc immorari possumus, supponendum enim est non probandum. Sed dato, quod

entitative essent eadem potentia, tamen officium, et actus sunt omnino diversi, et quia utrumque officium est connaturale animæ pro illo statu, in quo eam assumpsit Christus Dominus, adhuc currit ratio S. Thomæ, quod careret aliquo actu sibi connaturali pro hoc statu, et sic frustra esset potentia, non quidem quantum ad entitatem, sed quantum ad hoc munus, quo careret.

LIII. Ad quartam instantiam respondet optime S. Thomas infra quæstione XII, articulo III ad secundum, quod assumere scientiam a rebus est nobilior, quam addiscere ab hominibus, quia qui accipit a rebus quasi docetur a Deo, qui formavit creaturas, ut signa sapientiæ suæ; et sicut homo docet per voces sensibiles, ita Deus docet per res

ipsas, quas creavit, et sic accipere scientiam a rebus est doceri a Deo per ipsas res, non autem a rebus ipsis. Et propterea Angelus, et homo quando docent, solum docent instruendo, hoc est, non præbendo species, aut lumen intellectui, sed dirigendo, et ordinando species, ut intellectus addiscentis possit penetrare veritatem, et recte iudicare de illa; ista autem directione, et ordinatione Christus non indigebat propter excellentissimam vim ingenii; unde vacabat in illo omne magisterium humanum, vel angelicum. In acquirendo autem species a rebus ipse se dirigebat, et ordinabat species, quas accipiebat, et ideo proprie non addiscebat a rebus, licet ab illis species hauriret.